

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 85. (Neovidensis 1808. Nro. 84.)

*Politicum Vita functorum Colloquium.*

Elysium-Meum.-Die Martis 1. Nov. 1808. (Neov. 1. Oct. 1808.)

Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis  
*Virgil.*

*Colloquentes Umbræ.*

*Mercurius. Clio, Dea historiat.*

*Clio.* **U**nde nobis præter opinionem ades, amice Mercuri?

*Mercur.* Tu stupes me tibi in atrio oraculi fieri obvium? Recte nunc te ipsam invisendi animus erat, at præstabit cum Fama prius colloqui.

*Clio.* Forte aliquid momentosæ rei actum? enarra, quæso, celer alis Mercuri!

*Mercur.* Duos Cæsares vidi Erfurti, Dominatores orientalis & occidentalis Europæ.

*Clio.* Ab his ergo sors continentis jam definita? quomodo? qua ratione?

*Mercur.* Sane! At quomodo, & qua ratione adhuc in obscuro est. Hæc ipsa re, mihi causa existit illos tractatus ad hoc oraculi templum deferendi. Vere Oracula sunt hæc, quæ tu olim historiæ ineres.

*Clio.* Tu nimirum mandata a Jove Patre persers?

*Mercur.* Ab hoc scilicet ipso paupere afflicto fulminatore, coram quo cuncta contemiscunt, cum interim ille Neptunum extimescit. Ipse dominatur Coelo & terræ. At maria. —

*Clio.* Quid Neptunus contra Jovem efficiet.

*Mercur.* Absit ut eum tam parvipendas. Albionis ille insulam insedit, unde fulmina per cuncta maria vibrat haud secus quam Jupiter per terras. Non horruit ille olim Fulminatoris potentiam Jovis; revoca solum in memoriam illam scandalosam scenam, cum Zevs, belli Trojani tempore, Neptunum inter Graecos conspicatus, hunc revertere jubebat. Reposuit ille Iridi. *Meus frater tumide metum agit. An non uterque nostrum Saturno genitus, Et Rhea natus? Me ille quidem haud terreat.*

*Clio.* Bene ista teneo; at idem ab Iride meliora edoctus, superiorem fratris senioris potentiam agnovit. — An non id ipsum nunc quoque eum facere oportebit?

*Mercur.* Dura cervice est, contumax, flecti nescius; quidam Canning perfecte eum refert. — An non idem olim Jovem, auxiliante Apolline, in vincula compegit?

*Clio.* Vera refers; at, an non utrique, quo scelus hoc poenitudine eluerent, Laomedontis Trojanorum regis mandatis parendum fuerat? Hoc jubente eduxere illi fortia moenia Trojæ.

*Mercur.* At nunc jam tertia vice contumacem se præbet, ingentiaque terris mala aufert. Illius contumaciæ, & dominandi li-

bidini tribui merito possunt omnia bella, quæ a 20 annis gesta sunt. — Imo multi contendunt illum gallicanæ quoque revolutionis causam esse; qua tamen in re misere delusus est; cum hæc revolutio, malo ei omine, eventus, virosque pepererit, qui illum aliquando comperissent. Is nunc forma Canningii indutus verba facit, qui horribili revolutione Hispaniam, & Portugalliam involvit, cum tamen in animo plane convictus sit, has infelices provincias voluntati magni illius nostri ævi viri, quem Martem orbis merito vocant, obnoxias fore.

*Clio.* Equidem crediderim nunc Erfurti.

*Mer.* Procul dubio duo illi Cæsares ibi consilia conferre debuerunt, quemodo tot malis a Nuptuno venientibus terminos ponere possent. Dubio vacat, Albioni formatum iri propositiones, & acceptabiles, & respectu generis humani, tot calamitatibus vexati, necessarias. Nisi hæc acceptatæ fuerint, mandatum mihi est, Famæ committere, ut hæc per totum orbem peccata & scelera obstinati illius & barbari sono tubæ publica faciat.

*Clio.* Grates tibi sint, care Mercuri! pro hoc nuncio. Abeo nunc documenta officiosarum relationum novissimos in Portugallia eventus concernentium prosecutura.

*Prosecutio finalis conventionis evacuationem Portugallia respicientis.*

Art. 7. Ad facilitandum transportationis ope navium negotium, hæc transpositio per ternas divisiones fiet; ultima debeat præcipue constare ex præsidiariis fortalitorum;

equitatu, re tormentaria, & impedimentis exercitus. Prima Divisio 7. a tempore ratificationis die, vel etiam, si fieri, potest, prius in naves illocabitur. Art. 8. Præsidarii de Elvas & huc pertinentis fortalitii, de Peniche, & Palema Lisabonæ, de Almeida in Porto, vel ei proximo portu, navibus imponentur. Commissarii Anglici eos comitabuntur, quorum officii erit de eorum intertentione providere. Art. 9 Omnes infirmi, & vulnerati qui cum aliis Copiis navibus imponi non possunt, exercitui Anglicano concedentur. Per tempus suæ in hac provincia commorationis ad rationes regimisi anglicani providebuntur ea conditione, ut has intertentionis expensas, perfecta plenarie evacuatione, Gallia recompenset. Regimen Angli. curabit reditum eorum in Galliam, qui per manipulos 150—200 capitum fiet. Chirurghi gallici sufficienti numero ad curandos infirmos in loco remanebunt. Art. 10. Ut primum ad transportationem exercitus gallici destinata navigia in prædictis portibus, vel quovis alio Gallia portu, forte tempestate rejecta excensionem perfecerint, illico de necessariis mediis in Angliam revertendi ei prospicietur; una vero curabitur, ut a quovis piratico capturæ genere eousque, dum aliquem amicum portum attigerint, immunes præsentur. Art. 11. Exercitus gall. circa Lisabonam, & in peripheria 2 horarum concentrabitur; exercitus Angli. ad 3 horarum distantiam ad metropolim admovebitur, & talem positionem deliget, ut inter utrumque ex

erciturum circiter unius horæ spatium interce-  
 dat. Art. 12. Fortalitia S. Juliani , Bregio ,  
 & Cascais , post ratificationem conventionis  
 ab anglicis copiis occupabuntur. Lisabona  
 cum suis propugnaculis non secus & fortalitia,  
 & batteriæ usque Lasareth , vel Traseria ab  
 una parte, & usque fortalitium S. Josephi inclu-  
 sive, ab altera , ipso momento illocationis in  
 naves, a secunda divisione resignabuntur ; non  
 secus etiam portus, & omnia armata navigia,  
 cujuscunque generis fuerint, cum omnibus ru-  
 dentibus, velis, & provisione. Fortalitia,  
 Elvas, Almeida, Penniche, & Palmela statim  
 resignabuntur, ut primum anglicæ copię adfu-  
 erint, quæ illa recipiant. Sub ipso exspecta-  
 tionis Copiarum angl. Generalis tempore, Co-  
 piis, a quibus illa fortalitia obsidentur, hæc  
 conventio notitiæ dabitur, quo hostilitatibus  
 finis imponatur. Art. 13. Ex utraque parte  
 Commissarii nominabuntur, qui executionem  
 hujus conventi dirigant, & accelerent. Art.  
 14. Si alicujus articuli sensus dubius videbi-  
 tur, in favorem exercitus gall. explicabitur.  
 Art. 15. A ratificatione præsentis Conventio-  
 nis computando omnes restantiæ contributio-  
 num, requisitionum, & vel reclamationum re-  
 giminis gall. adversus subditos Portugallicos,  
 aut quosvis alios in Portugallia habitantes,  
 quæ in occupatione hujus provinciæ per ex-  
 erciturum gall. in Decembri 1807 facta, fundan-  
 tur, Contributiones, & requisitiones nondum  
 præstitæ, pro nullis habeantur, & omne mobi-  
 libus, aut immobilibus rebus impositum seque-

strum tolletur. Prædictæ res dispositioni antiquorum possessorum relinquentur. Art. 16. On pes in Portugallia domicilia habentes, vel casu aliquo ibidem existentes Galliæ subditi, vel aliarum Potentiarum Galliæ amicitia aut fœdere junctarum, in protectionem sumentur. Mobiles æque ac immobiles eorum res salvæ præstabuntur, eisque liberum erit, vel exercitum gall. sequi, vel in Portugallia manere. In utroque casu cautæ sunt eorum res libertasque, quæ sua sunt, aut retinendi, aut abalienandi, & ex venditione ista obtingentem summam, vel in Galliam, vel in quamvis aliam provinciam, quam pro domicilio sibi elegerint, deferendi. Tempus unius anni eis hoc fine concessum est. Manifestum est autem, naves ab ista Conventione exemptas esse, sed solum respectu earum excursionis exportu, & quod favore priorum stipulationum mercantiles speculationes instituere integrum non sit. Art. 17. Nullus Portugallus propter politicam suam sentiendi agendique rationem, quam exercitu gall. ibidem existente, fovisset, rationibus reddendis obnoxius erit, & omnes illi; qui exercituum functionum suarum prosecuti erant, vel qui a regimine gallico officia acceperant, protectioni Commandantis suberunt; neque persona, neque res eorum alicui periculo obnoxie erunt, cum eis liberum non fuerit ut regimini gallico parent, aut secus, Liberum eis est etiam Art. 16. factis stipulationibus uti. Art. 18. Copiæ hispanicæ, quæ in navibus Lisabonensis portus ca-

ptivæ detinentur, Commendanti primario exercitus angl. resignabuntur, qui vicissim se obligat promissione Hispanos permovendi ad omnes civilis, aut militaris conditionis Galliae subditos, qui non in pugna, aut operationibus militaribus, sed occasione 29. ultimi mensis, & sequentibus diebus capti fuissent extradandos. Art. 19. Officiales cujuscunque ordinis, qui ab initio hostilitatum in captivitatem venerunt, illico permutabuntur. Art. 20. Ex parte anglicanæ classis & exercitus, uti etiam ex parte gallici exercitus obsides Generalis caractere dabuntur, quo huic conventioni major utrinque fides stet firmitasque. Officialis exercitus angl. extradabitur, articuli exercitum respicientibus, plene executioni datis, & pariter gallicus quoque officialis tum reddetur, si Copiæ gallicæ in solo patrio excensionem fecerint. Id ipsum etiam ex parte exercitus gallici usveniet. Art. 21. Supremo exercitus gallicani Duci facultas conceditur officialem, qui nuncium de hac conventionē perferat, in Galliam mittendi. Anglicus navis Præfectus de navi providebit, qua hic officialis, vel Burdegalam, vel Rupifortium deferatur. Art. 22. Admiralis angl. requiretur, ut Suam Excellentiam Supremum Commendantem, aliosque summi ordinis officiales exercitus gallici navigio quodam excipiat. — Ita actum & conclusum Lisabonæ 30, Aug. 1808. Signatum Geor. Murray, Generalis hospitiorum militarium Magister. — Kellermann, Divisionis Generalis."

*Conventio cum Admirale Seniavin.*

Art. 1. Naves bellicæ Imperatoris Russiæ, quæ nunc in Tago sunt, sine mora cum omni ad eas pertinente adparatu Admirali Sir Carolo Cotton tradentur, & ad Angliam deferentur, ibi Sux Maj. Britanniæ Regis custodiæ eo usque mancipandæ, dum sexto ab inita inter Suam Majestatem Regem Britanniæ, & Suam Majestatem Imperat Russiæ pace, Sux Majestati Imperatori Russorum restitutæ fuerint. Art. 2. Vice-Admiralis Seniavin, officiales, nautæ, & milites maritimi ejus imperio obnoxii, sine ulla futura eorum servitia respiciente conditione, & clausula in Russiam revertentur. Deportabuntur vero aut bellicis aut aliis huic usui aptis navigiis, ad rationes Sux Majestatis Regis Britanniæ in Russiam. Datum, & Conclsum in navi Twerday in Tago, & in navi Sux Majestatis Regis Britanniæ Hibernia, in ostio ejusdem fluminis 3. Sept. 1808. Sign. a Seniavin, Carol. Kotton.

*Vienna* (9. Oct.) Universa Europa avidis novorum oculis Erfurtum respicit, nos veso non minus — Hungariam. Diætæ proxime gloriosus finis imponetur. Nobilis, & magni animi Hugara natio vivit, & movetur fiducia in suo optimo Rege collocatæ plena, Consiliis ejus acquiescens.